

*Deos quidem semideis in honore præferendos, hominibus autem heroas. Parentes vero hominibus cæteris. Laërtius L. VIII. Segm. 23. p. 506.* Vera vel falsa hæc sint, non curo, sufficit, ex his patere, Gentilibus non fuisse difficile concipere mentes extra corporis societatem constitutas.

§. VI. Imo *Plato* alibi docet, mentem per corpus corrumpi, liberiusq; illo solutam operari: Quid est mors *Platoniorum*, de qua doctam hic loci Clariss. *Kunadus* scripsit Dissertationem, quam valedicere sensibus, animæque oracula excipere, quod abstrahendo à corpore fieri non ignorabant: Dubitas, lege *Malbranchium* in libro doctissimo *Recherche de la Verite*, quo Philosophaturus vix carere potest: Non enim mei foris est, hæc ipsa prolixius exequi.

§. VII. Sufficit rationi contrarium non esse, statuere mentes à corpore separatas, quæ ANGELI in Script. Sacra dicantur, Hebr. מלאכי Græce αγγελοι, cui vocabulo illud *Apostoli* concinnare qui noverit, multis superstitionibus valedicet, & masculam pietatem amplectetur, vid. Hebr. III, 1. Nam in minus & nimis hic proclives sunt Autores.

§. VIII. In excessu enim hic peccant illi, qui plus, quam par est, adscribunt Angelis sive bonis, sive malis: In defectu, qui cum *Bekker*, Viro alias non indocto, & Cartesianæ Philosophiæ hoste, ut ex ejus admonitione virulenta, de *Philosophia Cartesiana*, cum *G. Mastricht* *Gangræna Cartesianismi* juncta, facile patebit, ut male à nonnullis *Cartesianis* adscribatur, nolunt admittere operationem Angelorum in hominem, unde Diabolum verbis concedunt, re ipsa negant.

§. IX. Unde videmus, *Bekkerum* tria priora capita *Geneseos*, cum *Origene*, licet alio fine, in meras convertere Allegorias, quæ quorsum ducant, ex *Beverlandi* impuris chartis patet: Habent illa capita omnia requisita veræ Historiæ, ergo maneat Historia, & si